

IN SOLEMNITATE
SACRATISSIMI
CORPORIS CHRISTI.

Lectio Epistolæ Beati
Pauli Apostoli ad
Corinthios.

1. Co-
rinth.
11. e

FRatres, Ego enim
accepi à Dómi-
no quod & trá-
didi vobis, quóniam Dó-
minus Jesus in qua noc-
te tradebátur, accépit
panem, & grátias agens
fregit, & dixit: Accípi-
te, & manducáte: Hoc
est corpus meum, quod
pro vobis tradétur: hoc
facite in meam com-
memoratióem. Simíliter &
cálicem, postquam cœ-
nâvit, dicens: Hic calix
novum testaméntum est
in meo sánguine. Hoc
facite, quotiescúmquè

bibétis, in meam com-
memoratióem. Quoties-
cúmquè enim manducá-
bitis panem hunc, & cá-
licem bibétis: mortem
Dómini annuntiábitis, dó-
nec véniat. Itaque qui-
cúmque manducáverit pa-
nem hunc, vel bíberit cá-
licem Dómini indignè:
reus erit córporis, & sán-
guinis Dómini. Probet
autem seípsum homo: &
sic de pane illo edat, &
de cálice bibat. Qui enim
manducat, & bibit indíg-
nè, júdicium sibi mandû-
cat & bibit: non dijúdi-
cans corpus Dómini.



DOMINICA II.
post Pentecosten,
Quæ est infraoctavam
Còrporis Christi.

Lectio Epistolæ B. Joán-
nis Apóstoli.

^{1.}
^{Joan.}
^{3.}
Charíssimi, Nolite
mirári, si odit vos
mundus. Nos sci-
mus quóniam transláti su-
mus de morte ad vitam,
quóniam diligimus fra-
tres. Qui non diligit, ma-
net in morte: omnis qui
odit fratrem suum, homi-
cida est. Et scitis quó-
niam omnis homicida
non habet vitam ætér-
nam in semetípso ma-
néntem. In hoc cognóvi-
mus charitátem Dei, quó-
niam ille ánimam suam
pro nobis pósuit: & nos
debémus pro frátribus
ánimas pónere. Qui ha-
búerit substántiam hujus
mundi, & viderit fratrem
suum necessitátem habé-

re, & cláuserit víscera sua
ab eo: quómòdò cháritas
Dei manet in eo? Filioli
mei, non diligámus ver-
bo, neque lingua, sed
ópere & veritáte.

DOMINICA III.
post Pentecosten.

Lectio Epistolæ B. Petri
Apóstoli.

^{1.}
^{Pet.}
^{3. b}
Charíssimi, Humi-
líamini sub po-
ténti manu Dei,
ut vos exáltet in témpore
visitatiónis: omnem soli-
cítudinem vestram projí-
ciéntes in eum, quóniam
ipsi cura est de vobis. Só-
brii estóte, & vigiláte:
quia adversárius vester
diábolus tamquàm leo rú-
giens circuit, quærens
quem devoret: cui resísti-
te fortes in fide; sciéntes
eámdem passióne mei, quæ
in mundo est, vestræ fra-
ternitáti fieri. Deus autem

om-

omnis grátia, qui vocá-
vit nos in ætérnam suam
glóriam in Christo Jesu,
módicum passos ipse per-
ficiet, confirmábit, soli-
dabítque. Ipsi glória &
impérium in sæcula sæ-
culórum. Amen.

DOMINICA IV.
post Pentecosten.

Lectio Epistolæ Beáti
Pauli Apóstoli ad
Romános.

^{Rom.}
^{8.}
Fratres, Existimo,
quòd non sunt
condígnæ passió-
nes hujus témporis ad fu-
túram glóriam, quæ reve-
lábitur in nobis. Nam ex-
pectátió creatúræ, reve-
latiõnem filiõrum Dei ex-
péctat. Vanitáti enim
creatúra subjécta est, non
volens, sed propter eum,
qui subjécit eam in spe:
quia & ipsa creatúra li-
berábitur à servitúte cor-

ruptiõnis, in libertátem
glóriæ filiõrum Dei. Sci-
mus enim quòd omnis
creatúra ingemíscit, &
párturit usque adhuc.
Non solùm autem illa,
sed & nos ipsi primítias
spíritus habéntes, & ipsi
intra nos gémmus, adop-
tiõnem filiõrum Dei ex-
pectántes, redemptiõ-
nem córporis nostri: in
Christo Jesu Dómino
nostro.

DOMINICA V.
post Pentecosten.

Lectio Epistolæ B. Petri
Apóstoli.

^{1.}
^{Pet.}
^{3.}
Charíssimi, Om-
nes unánimes in
oratiõne estóte
compatiéntes, fraternitá-
tis amatóres, misericór-
des, modésti, húmiles:
non reddéntes malum
pro malo, nec maledíc-
tum pro maledicto, sed

è

è contráριο benedicétes: quia in hoc vocáti estis, ut benedictiõnem hæreditate possideáti. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coërceat linguam suam à malo, & lábia ejus ne loquántur dolum. Declinet à malo, & fáciat bonum: inquírat pacem, & sequátur eam. Quia óculi Dómini super justos, & aures ejus in preces eõrum: vultus autem Dómini super faciéntes mala. Et quis est qui vobis nóceat, si boni æmulatóres fuéritis? Sed & si quid patímini propter justítiam, beáti. Timõrem autem eõrum ne timuéritis, & non conturbémini. Dominum autem Christum sanctificáte in córdibus vestris.

DOMINICA VI.
post Pentecósten.

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Romanos.

FRatres, Quicúmque baptizáti sumus in Christo Jesu, in morte ipsius baptizáti sumus. Consepúlti enim sumus cum illo per baptismum in mortem: ut quómodo Christus surrexit à mórtuis per glóriam Patris, ita & nos in novitate vitæ ambulémus. Si enim complantáti facti sumus similitúdini mortis ejus: simúl & resurrectionis érimus. Hoc sciéntes quia vetus homo noster simúl crucifixus est, ut destruátur corpus peccáti, & ultrá non serviámus peccáto. Qui enim mórtuus est, justificátus est à peccáto. Si autem mórtui sumus cum

Rom.
6.

Chris-

Christo, crédimus quia simúl etiám vivémus cum Christo, sciéntes quòd Christus resúrgens ex mórtuis jam non móritur, mors illi ultrá non dominábitur. Quòd enim mórtuus est peccáto, mórtuus est semel: quòd autem vivit, vivit Deo. Ita & vos existimáte, vos mórtuos quidém esse peccáto, vivéntes autem Deo, in Christo Jesu Dómino nostro.

DOMINICA VII.
post Pentecósten.

Léctio Epístolæ Beáti Pauli Apóstoli ad Romanos.

Rom.
6.

FRatres, Humánum dico, propter infirmitatem carnis vestræ: sicut enim exhibuístis membra vestra servire immundítæ, & iniquitati ad iniquitatem;

ita nunc exhibete membra vestra servire justitiæ in sanctificationem. Cum enim servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis, in quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors est. Nunc vero liberati à peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem vero vitam æternam. Stipendia enim peccati, mors. Grátia autem Dei, vita æterna: in Christo Jesu Domino nostro.

DOMINICA VIII.
post Pentecósten.

Léctio Epístolæ B. Pauli Apóstoli ad Romanos.

FRatres, Debitores sumus non carni, ut secundum carnem vivamus. Si enim

Rom.
8. c

se-

secundum carnem vixeritis, moriemini: si autem spiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Quicumque enim spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba (Pater.) Ipse enim Spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quod sumus filii Dei. Si autem filii, & haeredes; haeredes quidem Dei, cohaeredes autem Christi.

DOMINICA IX
post Pentecosten.

Lectio Epistolae Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

^{1. Cor. 10.} **F**ratres, Non sumus concupiscentes malorum, sicut & illi concupi-erunt.

Neque idololatrae efficiamini, sicut quidam ex ipsis: quemadmodum scriptum est: Sedit populus manducare, & bibere, & surrexerunt ludere. Neque fornicemur: sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, & ceciderunt una die viginti tria millia. Neque tentemus Christum: sicut quidam eorum tentaverunt, & a serpentibus perierunt. Neque murmuraveritis: sicut quidam eorum murmuraverunt, & perierunt ab exterminatore. Haec autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines saeculorum devenerunt. Itaque qui se existimat stare, videat ne cadat. Tentatio vos non apprehendat, nisi humana: fidelis autem Deus est, qui non patietur vos tentari supra id, quod po-

tes-

testis, sed faciet etiam cum tentatione proventum, ut possitis sustinere.

DOMINICA X.
post Pentecosten.

Lectio Epistolae Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

^{1. Cor. 12.} **F**ratres, Scitis quoniam cum Gentiles essetis, ad simulacra muta prout ducebamini euntes. Ideo notum vobis facio, quod nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema Jesu. Et nemo potest dicere, Dominus Jesus, nisi in Spiritu sancto. Divisiones vero gratiarum sunt, idem autem Spiritus. Et divisiones ministratum sunt, idem autem Dominus. Et divisiones operationum sunt, idem vero Deus, qui operatur omnia in omnibus. Unicui-

que autem datur manifestatio Spiritus ad utilitatem. Alii quidem per Spiritum datur sermo sapientiae: alii autem sermo scientiae secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu: alii gratia sanitatum in uno Spiritu: alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum. Haec autem omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

DOMINICA XI.
post Pentecosten.

Lectio Epistolae Beati Pauli Apostoli ad Corinthios.

^{1. Cor. 15.} **F**ratres, Notum vobis facio Evangelium, quod praedicavi vobis, quod & ac-

T

ce-